

Hic negatur minor. Falsitas enim ex terminis in aprico est. Si autem Syllogismus sit ita:

Quicunque est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus, sed sine charactere paternitatis consideratus, ille est pater filii Dei Domini Iesu Christi.

Filius Dei est Deus ille altissimus, vnicus, indiuiduus, sed sine charactere paternitatis consideratus.

E. Filius Dei est pater filii Dei.

negatur maior. Nam filius & spiritus S. etiam sunt Deus ille altissimus, sed sine charactere paternitatis, vtpote qui patri soli est proprius.

**Responsio Leibnitii ad argumentum VVissovvatii quintum, quæ est continuatio quarta superiorum.**

(aa) Nego, Deo altissimo aut potius ei, qui est Deus altissimus, repugnare, esse ab alio, V. supra u.

### Responsio nostra.

Argumentum VVissovvatii, prouti ab ipso est positum, se habet ita: Filius Dei aut est a se, aut est ab alio, adeoque non est absolute primum principium, sed principiatum &c. Vid. supra. Quia autem dilemma hoc, vtpote pro quo ipse declarat VVissovvatus, non est in forma dilemmatis, in illa ex mente eius sese habebit ita:

Si datur filius Dei, qui ipse Deus sit, aut ille erit a se, aut ab alio.

Sed 1. falsum est, quod possit esse a se, & non ab alio; tunc enim non esset filius, quia filius semper a patre est.

2. falso